

12. *Quin de semetipso idem disertè fatetur Apostolus se subigere corpus suum, & in servitatem redigere, ne quo modo fiat, ut cum alijs prædicarit, ipse reprobus efficiatur 1, Cor. 9, 27.*

13. *Adstipulatur D. Paulo etiam Petrus, aperte asserens eos, qui refugerunt ab inquinamantis huius mundi per agnitionem Domini & Servatoris nostri Iesu Christi, his rursum involutos superari posse, ita ut postrema fiant deteriora primis &c. 2. Pet. 2. 20, &c 21. Psal. 51. 19*

14. *Et profectò nisi fidem semel adepti, rursus eandem amittere possent, quis obsecro tot admonitionum ad perseverantiam, quis precationum illarum foret usus, quibus renati, ne projiciantur à facie Dei, & né sanctus Spiritus ab ipsis auferatur, adeò sollicitè Deum invocare leguntur? Joh. 5, 14. 1. Cor. 10, 12.*

15. *Suffragatur his Orthodoxa etiam Antiquitas: ut Chrysostomus, scribens: non solum opera bona sanctorum nobis sunt scripta, sed & peccata, ut illa quidem fugiamus, ista verò imitemur: Neque hoc solum, sed monstrat insuper divina scriptura: & iustos sæpè lapsos, & peccatores agentes pœnitentiam, quo utrinque sufficiens & nobis esset securitas, & neque qui fecerit, confidentior sit, videns & iustos posse labi, & lapsos esse. in Gen. c. 9. hom. 29.*

*Et D.*